



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 39. Seditio Romæ contra Pontificem commota.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII. habemus Tractatum de Processione Spi-  
 ritus Sancti contra Errorem Græcorum,  
 A.C. 1116. Græce scriptum, atque ad Alexium  
 Comnenum Imperatorem directum.  
 Allat. Græc. orthod. pag. 379. ap. Ba-  
 ron. an. 1116. Hoc opus Constantinopoli scripsisse, sive  
 Jerosolymam iturus sive inde redux, cre-  
 ditur.

## §. XXXIX.

*Seditio Romæ contra Pontificem com-  
mota.*

Diebus post solutum Concilium quin-  
 decim elapsis, videlicet Dominica  
 Palmarum, vigesima sexta Martii, eodem  
 anno millesimo centesimo decimo sexto,  
 cum Petrus Urbis Præfectus mortuus es-  
 set, homines seditiosi Successorem elege-  
 runt, ejus filium, vix adolescentiam  
 egressum, & eum in Coena Domini Pon-  
 tifici, Missæ Solemnia inchoanti, pri-  
 mamque Orationem recitanti, inter  
 Thronum & Altare offerunt, petentes, ut  
 juvenem in Patris sui Dignitatem asse-  
 ret. Papa non respondente, & Sacris,  
 quibus operabatur, intento, irritati voci-  
 ferantur & Deum testem invocant, nisi  
 faceret, quod postularent, experturum  
 esse, hanc diem infelici eventu esse fu-  
 nestandum. Tandem respondit Papa,  
 per Sanctæ diei solemnia sibi non vacare,  
 istud tractare negotium, postea vero,  
 quæ convenirent, se ipsis responsurum  
 esse.

*Petr. Pis. n.*  
*17. ap. Pa-*  
*pebroc ap.*  
*Baron. an.*  
*1115.*  
*Chron. Caff.*  
*IV. c. 60.*

esse. Illi vero, *faciemus*, inquit, *quod* Sæcul. XII.  
A.C. 1116.  
*nobis lubet.*

Postera die, nempe in Parasceve, plurimis pro antiquo more nudis pedibus ad Loca Sancta & Sepulchra Martyrum procedentibus, factiosi armati simplicem plebem deceperunt, & extorto juramento in suas partes pertraxerunt. Eadem rerum facies in Sabbato Sancto, & in ipsa Resurrectionis die fuit. FERIA SECUNDA, tertia Aprilis, Papa ad S. Petrum, scilicet illius diei Stationem, comitante, Juvenis, seditiosorum agmine stipatus, prope pontem Hadriani, ejus conspectum subit, & in Præfecti Dignitate confirmari petit. Cumque Paschalis renuisset, familiam Pontificis, eum comitantem, aggreditur, alios capit, alios fustibus cædit. Tum Papam pro more coronatum, & e Basilica S. Petri redeuntem, præcedentibus Cardinalibus, Seditiosi furiose clamantes ex Capitolio coniectis saxis lacefferunt. Quin mittunt, qui Papam insequerentur, & priusquam Cultum Pontificium deponeret, eis promittere compulsus est, se proxima die Veneris de confirmatione hac concedenda deliberaturum esse. At juvenis, moræ impatiens, ab iis, a quibus id impetrare potuit, Ritus & cæremonias, cum novi urbis Præfecti proclamarentur, adhiberi solitas, illa ipsa die peragi jussit.

*Hist. Eccles. Tom. XVI.*

Z

Die

Sæcul. XII.

A.C. 1116.

Die Veneris rebellis juvenis tecta illorum, quos Papæ addictos ad defectionem frustra sollicitaverat, dejicit, & Petri Leonis ædes turresque solo æquat. Papa satis intelligens, Seditiosos sine sanguine & cæde compesci non posse, non nullos Romanos Proceres largitionibus sibi devinxit, conferta est pugna, & Seditiosi victi; sed plerique eorum, qui Papæ fidem juraverant, Ptolomæo Duce, defecerunt. Tota illa Regio in Pontificem arma cepit, nec prius remisit belli civilis furor, quam messis labor instaret, & æstivo calore corpora languerent.

§. XL.

*Albertus Archiepiscopus Moguntinus  
contra Imperatorem.*

*Ab. Ursper. an. 1117.* Dum hæc Romæ geruntur, Imperator in Longobardia versabatur, per nuncios de pace agens cum Pontifice, qui respondebat: *Fidem datam servavi, licet vi extortam. Imperatorem non excommunicavi, sed eum præcipua Ecclesie membra excommunicationis censura ferierunt, quam ego ipsis inconsultis, & extra Concilium, in quo partes auditæ fuerint, tollere non possum. Nam vix ulla dies præterit, qua non epistolas a Transalpinis, præsertim ab Archiepiscopo Moguntino accipiam, quibus me ad id faciendum bor-*